

Namque funem instar Lampetrae incoctum, multoque illo jurulento immersum, grandi in patina appositum, ut notam omnibus ejus edacitatem, gulamque eluderet: qui jam magna pultarii parte absumpta pseudolam petram aggressus, diu multumque cum ea maxillis ac dentibus

inhaerente colluctatus, cachinnum cunctis tollentibus, facetissime respondit: utinam sic mihi saepius illudatis. Nam in hoc condimento non modo funes, sed et ipsas catenas (quibus insani vobis similes vincuntur) et cum voluptate quidem absumerem.

CAPVT IV.

De Anguilla.

TAB. XXIV.

7. 8.

Aldrovand.
de Piscibus
l. 4. c. 14.

Quem piscem Latini Anguillam ab anguis similitudine dicunt, illa Graecis veteribus ἐγχέλυς, ἀπὸ τῆς ἰλῦος, quod commoto coeno felicius capiatur, modernis ἀχέλυς, vocatur. Lacedaemoniis ληκυλάτεις dictas, apud Helychium legimus. Est ex piscibus κατὰ δρόμους, qui in aquis dulcibus geniti, ad mare descendunt.

Duo ipsarum sunt genera, Majus et Minus. Illi caput brevius, crassius et latius, color fuscus: in profundo degit, et aqua deficiente sese in limo, ut inde effodiatur, occultat. Ad mare nunquam descendere, sed semper in vallibus degere, quidam affirmant. Mares Rondeletius vocat. Huic, quod Anguilla simpliciter dicitur, caput longius et acutius, et in mare descendit. Laeves sunt in universum et lubricae, ut manu teneri non possint, si inclusae tenentur, quaecunque caudam exerere possunt, eadem totae evadunt. Aristoteles eis quaternas utrinque branchias, sed simplices tribuit.

Alias quoque branchias pauciores minusque continentes habere scripsit. Athenaeus vero ex Theophrasto exiguas. Cuticulae quae hae teguntur, Parvula inest rima, quae causa est, quod in turbidis aquis facile strangulentur, et in aëre diutius vivant. Teste eodem Aristotele gulam quae paucis piscibus contigit, habent, licet exiguam, ventreque sunt exiguo. Fel jecori haeret. Hoc magnum est, illud aqueum. Pingue inest paucis, plurimae eo carent. Hippocrates tamen pinguedinem habere scribit, eandemque naturae ho-

minis inimicam: caeterum haec pinguedo a carne separata non est: quare alias dicebat Philosophus: seorsum enim a carne non pinguescunt: unde parvum eis in omento sebum esse solet. Tergus earum quam Muraenis crassius teste Plinio: cujus locum de pinnis hujus piscis, ubi lumbricis pro lubricis legebatur, restitui in Lampetra ex Aristotele, qui longorum vel laevium alios ut Anguillam et Congrum binas pinnae, alios ut Muraenam nullas habere scribit. Has juxta branchias haerere idem asserit, supinisque pinnis carere. A medio dorso et ab excrementi meatu veluti limbus cutis potius, quam pinnarum substantia superiores corporis partes ambit.

Ventriculus et intestina in longum protenduntur. Color omnibus haud idem. Variat enim aquarum, in quibus degunt, ratione. Quae puram et defluentem incolunt, ventre (inquit Salvianus) sunt candido, dorsoque cineraceo sive subcaeruleo: quae vero in impura et stagnante commorantur, ventre subalbo, dorso vero subviridi vel subnigro apparent: Os habent satis apertum, dentibus, parvis, acutis munitum, multiplici ordine. Magnitudo quoque non ubique eadem. Plinio atque Solino testibus in Gange ad tricenos pedes augentur: et Athenaei Pausaniaeque testimonio Copaidae, item Strymoniae eximiae magnitudinis esse dicuntur. Archestratus Copaidas apyrenos quasi spinas et offibus carentes vocat: Gelnus et Dalechampius Lampetras intelligi volunt; quoniam hae pro spinis cartilaginem

Arist. H. A.
l. 1. c. 5.

Plin. H. N.
l. 9. c. 3.

Athen. Di-
pnos. l. 7.